

*Liberae Montaneae et Regni Sclavoniae Civitates in suis libertatibus et Privilegiis conserventur.*

### A rt i c u l u s 110.

Regiae denique ac Liberae Montanaeque nec non Regni Sclavoniae Civitates; ut in suis antiquis Libertatibus, Privilegiis, Juribus et Consuetudinibus, juxta Articulum 31. Anni 1613, Articulum 35. Anni 1638. ac ibidem citatos; nec non Articulum 15. Anni 1649. conserventur; ac ut Civitates Kis-Marton et Köszege, juxta tenorem Privilegiorum suorum, per suam Majestatem ipsis concessionum, Jurisdictioni Magistri Tavernicorum subsint; statutum est.

*Excessus Alexandri Mikulich; Domini Comites, Banus, vel Georgius Erdödy revidebunt et determinabunt.*

### A rt i c u l u s 115.

In causa Magnifici Alexandri Mikulich, juxta benignam suae Majestatis resolutionem, decernunt Status; ut praemissa super ejusdem praetensis excessibus, post obtentam a sua Majestate Gratiam, patratis, Inquisitione, idem, ratione eorundem, in praesentiam Dominorum Comitum Bani, vel Georgii Erdödy Senioris, Assessorumque suorum, quos ad manus habere poterunt, evocetur; ibidemque causa ejusdem revideatur ac decidatur peremptorie.

### LEOPOLDI I. IMPER. & REGIS, DECRETUM PRIMUM, ANNO DOMINI 1659.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

*Diploma Regium, per suam Majestatem tempore felicis inaugurationis et coronationis suae Statibus et Ordinibus Regni super conditionibus inibi declaratis concessum; publicis Regni Constitutionibus inseritur.*

### A rt i c u l u s 1.

§. 2. *Prima Conditio.* Quod universas et singulas Regni libertates, immunitates, Privilegia, Status, Jura et Consuetudines, simul et Conclusionem Tractatus Viennensis, omnesque Articulos in eodem comprehensos, ita et reliquos ante et post Coronationem MATTHIAE Secundi, felicis reminiscitiae, in Annis 1608, 1609; Item praedefuncti beatissimae reminiscitiae Domini FERDINANDI Secundi; 1622. 1625. et aliis etiam Annis editos; nec non modernae etiam Imperatoria Regiaeque Majestatis conclusionem novissimi Tractatus et Pacificationis Licensis, omnesque Articulos ibidem specificatos, simul et constitutiones Regni; Annorum 1647. et 1649. atque etiam praesentis 1655. in omnibus suis punctis, clausulis et Articulis sua Serenitas firmiter et sancte observabit, per aliosque omnes inviolabiliter observari faciet.